

possidentur; illo defuncto succedere deberent dnus Georgius Lázár et praefatus Mikes.

In comitatu Szolnok Interiori: pagis *Bacza*, *Mihályfalva*, *Orbó* atque aliis fors, mihi hactenus incognitis et ante rebellionem per eundem Mikes possessis.

In comitatu Colosiensi: civitate *Claudiapolitana* domus Keresztianae dictae medietas, cum appertinentiis et portione in *Bányabük* jure successorio ad praefatum Mikes spectantia.

In comitatu Albensi: portio in *Megykerék*, quam aliis oppignoratam jure Mikesiano d. Franciscus Boér, privignus Mikesii deposita summa reluit et nunc jure hypothecario per eundem possidetur.

(Az Orsz. Ltárban; erd. fisc. iratok No. 2270.)

Közli: ILLÉSSY JÁNOS.

### DÖBRENTÉI GÁBOR FOLYAMODVÁNYA.

Serenissime Caesareo Regie Princeps Archidux et Palatine!

Domine Domine Benignissime.

Infrascriptus, pro statione Adjuncti Bibliothecae Hungaricae penes inclutum Museum Nationale, per resignationem Josephi Nicolai Kováchich actu vacante, sibi benigne et gratiose conferenda humillime supplicare sustinet, motivis e sequentibus:

1. Quod sit nobilis, patriae filius, *e comitatu Castriferrei oriundus*.
2. Studiis rite absolutis, quod fidedignis testimoniis comprobare par est, iter per Austriam, Bohemiam, in Saxoniam annis 1806 et 1807 fecerit, unde redux, in Transylvaniam vocatus, ibi, qua praefectus studiorum juvenis comitis Ludovici Gyulai duodecim amos expleverit et multos sibi cognitiones vitae socialis acquisiverit.
3. Quod praeter peritiam linguae hungaricae studio et assiduitate linguarum latinae, graecae, germanicae, gallicae, italicae et anglicae usum sibi familiarem reddiderit.
4. Habeat notitiam exactam Hungariae et Transylvaniae, quam sibi iteratis factis itinerationibus comparavit; uti etiam anno 1814 e Transylvania Viennam movens inde per Styriam, majorem partem Italiae fine ampliandae cognitionis et comparandae experientiae invisit.
5. Super dexteritate in stylo literario testimonium perhibere potest opus periodicum sub redactione instantis, cui titulus: Erdélyi Muzéum intervallo temporis in Transylvania exacti, editum, propter quod eum supremus comes comitatus Hunyadiensis in assessorem tabulae judicariae denominavit; quin immo libertate ab excelso Gubernio regio Transylvanico concessa, quamvis sine scitu instantis in honorem sui, moneta argentea cusa est, cujus exemplar etiam in Nummophylaceo Musei Nationalis exstat.
6. Quoad alias etiam cognitiones suas, vitae probitatem, culturam, sedulam sui applicationem et alias morales et physicas qualitates personales ad Transylvanorum testimonium provocare audet.

7. Redux 1820 in patriam, nunc opera scenica praestantiora poetarum Germaniae, Galliae, Angliae, Italiae pedetentim lingua hungarica edere vult, ut jam tomo primo versio tragoediae: Die Schuld, titulatae e germanico et tomo secundo: L'avare de Moliere prostat.

8. Quamvis sedulitate ac parsimonia sua eas sibi comparaverit facultates, ut sine alio etiam adjumento pro conditionis suae ratione honeste vivere possit, maximae tamen sibi gloriae duceret, si ex benigna serenitatis vestrae caesario regiae resolutione, instituti hujus, quod Serenitas vestra caesareo regia pro immortalitate sui apud Hungaros nominis, de die in diem ad majorem splendorem deducere studet, membrum esse posset, ac accedente adjuncti salario caeterisque accessoriis, instans adeo sublevaretur, ut Pestini in centro patriae ubi plura auxilia pro continuatione laborum suorum inveniret commorans, tam officio exactius satisfacere quam literaturam patriam alacrius promovere posset.

Licet quidem infrascripto fortuna haud obtigerit sub eminenti praesidio serenitatis vestrae caesareo-regiae serviendi, sibi que merita comparandi, cum tamen regnotenus notum sit serenitatem vestram caesareo regiam ad promovendam moralitatem et culturam ingeniorum praecipuam curam impendere, adeoque iis magis excultos prae caeteris promovere solere, meritaque de communi bono publico ubicunque posita in benigno gratiosam reflexionem summere dignari, ideo hac potissimum fiducia animatus sui quoque accomodationem sperat

Qui benignitati Serenitatis Vestrae caesareo-regiae commendatus jugi venerationis cum cultu emoriar.

Serenitatis Vestrae Caesareo Regiae

humillimus obsequentissimus servus

Gabriel Döbrentei m. p.

(Az Országos Levéltár irataiból — Acta Musei Nationalis 1821.)

Közli: DR. LAMPÉRTH GÉZA.

